



1-1-1658

## Common Rules: Latin Facsimile

---

### Recommended Citation

"Common Rules: Latin Facsimile" (1658). *Constitutions and Rules*. Paper 14.  
[http://via.library.depaul.edu/cm\\_construles/14](http://via.library.depaul.edu/cm_construles/14)

This Article is brought to you for free and open access by the Official Documents at Via Sapientiae. It has been accepted for inclusion in *Constitutions and Rules* by an authorized administrator of Via Sapientiae. For more information, please contact [mbernal2@depaul.edu](mailto:mbernal2@depaul.edu).

**REGLÆ**

**SEU**

**CONSTITVTIONES  
COMMUNES**

**CONGREGATIONIS  
MISSIONIS.**

**PARISIIS**

**1658**

**VINCENTIVS  
A PAVLO,**

SVPERIOR GENERALIS

**CONGREGATIONIS  
MISSIONIS,**

Dilectis nostris in Christo  
Fratribus, eiusdem  
Congregationis  
SACERDOTIBVS, CLERICIS,  
& Coadiutoribus Laicis,

**SALVTEM IN DOMINO.**

*EN tandem, Fratres di-  
lectissimi, en Regulæ seu  
Constitutiones Commu-  
nes nostræ Congregationis, tanto-  
pere à vobis desideratæ, ac tandiu  
expectatæ. Anni quidem circiter  
triginta tres à primâ ipsius Con-  
ã*

EPISTOLA.

*gregationis Instituzione effluxere, antequam illas typis mandatas vobis traderemus: sed eo consilio id egimus, tum vt Christum Saluatorem nostrum imitemur, in eo quòd cæpit priùs facere quàm docere; tum vt quàm plurimif occurreremus incommodis, quæ sine dubio oriri potuissent ex præmaturâ earundem Regularum seu Constitutionum editione; ac proinde earum praxis & vsus visa fuissent postmodum aut nimis difficilia, aut minùs congruentia. Hæc autem nostra cunctatio, at que agendi ratio ab illis Nos periculis, Diuinâ adiuuante Gratiâ, seruauit; quin etiam effecit, vt Congregatio paulatim ac suauiter ipsas in praxim redegerit, priusquam illæ fuerint editæ. Nihil enim in illis*

*CPISTOLA.*

*animadvertetis, quod non iam-  
dudum, imò & cum maximâ ani-  
mi nostri oblectatione, mutuâque  
omnium vestrûm ædificatione, in  
vfu habueritis.*

*Illas igitur, Fratres Dilectissimi,  
pari, quo vobis eas tradimus, affe-  
ctu accipite. Illas considerate, non  
quidem vt ab humano spiritu pro-  
ductas, sed potiùs vt emanatas à  
Diuino, à quo Bona cuncta proce-  
dunt, & sine quo non sumus suffi-  
cientes cogitare aliquid à nobis,  
quasi ex nobis. Etenim, quid in illis  
reperietis, quod vos aut ad vitiorû  
fugã, aut ad virtutû acquisitionẽ,  
& ad Cuangelicorû Documentorû  
exercitiû non accendat, ac promo-  
ueat ? Eâque de causâ illas omnes,  
quantû in nobis fuit, ex Iesu Chri-  
sti Spiritu, actionibusq; vitæ ipsius,  
(vt perspicere facile est), haurire*

*EPISTOLA.*

*conati fumus: quippe qui censuimus eos viros, qui ad continuationem Missionis ipsius Christi, (quæ potissimum in Pauperum Euangelizatione consistit) vocati sunt, debere eiusdem Christi sensibus & affectibus, imò eodem, quo ipse, Spiritu repleti, ipsiusque vestigijs inhærere.*

*De cætero ergò, Fratres, rogamus vos, & obsecramus in Domino Iesu, vt in exactam ipsarum Regularum obseruationem incumbatis; pro certò habentes, quòd si illas seruaueritis, ipsæ vos seruabunt; & tandem ad finem optatum, hoc est, ad Cœlestem Beatitudinem securos vos deducant.*  
*Amen.*

**IESVS,  
MARIA, IOSEPH.**

REGVLÆ  
SEV  
CONSTITVTIONES  
COMMVNES  
CONGREGATIONIS  
MISSIONIS

---

CAPVT PRIMVM.

*De fine & Instituto Congre-  
gationis.*

1. DŌminus noſter Ie-  
fus Chriſtus, te-  
ſtante Scriptura  
ſacra, miſſus in mundum, vt  
ſaluum faceret genus huma-  
num, cœpit Facere & Docere.

A

2 CAP. I. *De Fine & Instituto*

Primum quidem adimpleuit,  
cùm omne genus virtutum  
perfectè in praxim redegit ;  
Secundum verò, quando Euā-  
gelizauit pauperibus, tra-  
diditque Apostolis ac Dif-  
cipulis suis Scientiam ad Po-  
pulos dirigendos necessariam.  
Et quoniam pusilla Congre-  
gatio Millionis cupit ipsum  
Christum Dominum, me-  
diante eius gratiâ, & pro vi-  
rium suarum tenuitate, imi-  
tari, tum quoad ipsius virtu-  
tes, tum circa munia salu-  
tem proximi spectantia ; con-  
ueniens est, vt similibus me-  
dijs, ad pium hoc propositum  
rite exsequendum, vtatur. Id-  
circò eius finis est : 1. Pro-  
priæ Perfectioni studere ; ni-  
tendo scilicet pro viribus vir-



*Congreg. Miſſionis. 3*

tutes exercere, quibus ſumus ifte Magiſter nos verbo & exemplo inſtituere dignatus fuit ; 2. Euangelizare Pauperibus, maximè Ruricolis. 3. Eccleſiaſticos adiuuare ad Scientias, Virtuteſque acquirendas, ipſorum ſtatui requiſitas.

2. Hęc Congregatio Eccleſiaſticis & Laicis conſtat. Eccleſiaſticorum munus eſt, exemplo ipſius Chriſti & Diſcipulorum, Oppida & Pagos perluftrare, in iſſque Prædicando & Catechizando verbi diuini Panem parvulis frangere ; Confeſſiones generales totiùs anteactæ vitæ ſuadere, & excipere ; iurgia & lites componere ; Confraternitatem Charitatis inſtituere ;

A ij

4. CAP. I. *De Fine & Instituto*

Seminaria Externorum in nostris domibus erecta regere, & in illis docere ; Exercitia spiritualia tradere ; Conferentias Ecclesiasticorum externorum apud nos convocare, & dirigere ; aliaque munia, prædictis functionibus deferuentia, ac conformia, obire. Laïcorum verò partes sunt, Ecclesiasticos in supradictis omnibus Ministerijs, Marthæ officio fungendo (prout eis à Superiore præscriptum fuerit) necnon suis orationibus, lachrymis, mortificationibus, & exemplis cooperando, adjuvare.

3. Vt autem hæc Congregatio, finem, quem sibi proposuit, diuinâ aspirante gratiâ, attingat, necesse est, vt totis

*Congregat. Miſſionis.* 5  
viribus ſpiritum Chriſti induere nitatur, qui maximè elucet in Euangelicâ Doctrinâ ; in eius Paupertate, Caſtitate, & Obedientiâ ; in Charitate erga infirmos ; in eius Modeſtia ; in formâ Viuendi & Agendi, quam tradidit Diſcipulis ſuis ; in Conuerſatione ; in quotidianis Pietatis Exerciitijs ; & in Miſſionibus, alijsque Munijs, quæ erga Populos obuiuit. Quæ omnia ſequentibus capitibus continentur.

---

CAPVT II.

*De Documentis Euangelicis*

1. ANte omnia, ſtabilire ſe in hac Veritate Singuli conabuntur, Doctrinâ Chriſti nunquam poſſe fallere : quæ verò eſt mundi, ſemper

A iij

6 CAP.2 De Docum. Euangel.

esse fallacem, cum ipsemet  
Christus affirmet hanc esse si-  
milem domui ædificatæ su-  
per arenam ; suam verò com-  
parari ædificio fundato supra  
firmam petram. Idcirco, Con-  
gregatio semper iuxta ipsius  
Christi, nunquã verò Mundi  
Documẽta, agere profitebitur.  
Vt autẽ id præstet, ea maximè,  
quæ sequuntur, obseruabit.

2. Cùm Christus dixerit :  
Quærite primùm Regnũ Dei  
& Iustitiam eius : & hæc omnia,  
*(quibus indigetis)*, adijciẽtur  
vobis ; Vnusquisque Spiritua-  
lia Temporalibus, Salutẽ Ani-  
mæ Corporis Sanitati, Gloriã  
Dei Mundi Vanitati anteferre  
conabitur: Quinetiam ino-  
piam, infamiam, cruciatus,  
ipsamque mortem sibi magis,

CAP. 2. *De Docum. Euangel. 7*

cum B. Paulo, eligere statuet, quàm separari à Charitate Christi. Propterea non erit sollicitus de bonis temporalibus ; imò iactabit super Dominum curam suam ; pro certò habens quod quoad in hâc Charitate erit radicans, & hâc spe fundatus, semper in protectione Dei Cœli commorabitur ; & sic, non accedet ad eum malum, & ipse non deficiet omni bono, etiam si sua omnia iam fore peritura arbitrarentur.

3. Et quoniâ piû illud Exercitiû, quod in Diuinâ Voluntate semper & in omnibus faciendâ consistit, certum est mediû, quo Christiana Perfectio breui potest acquiri ; Vnufquisque pro viribus nitetur

8. CAP. 2. *De Docum. Euangel.*  
illud sibi familiare reddere;  
hæc quatuor præfando : 1. De-  
bitè tum iuffa exfequendo, tum  
prohibita fugiendo, quoties  
nobis innotefcit huiufmodi  
iuffionem, aut prohibitionem  
à Deo, vel ab Ecclefîâ, vel  
à Superioribus noftris, vel à  
Regulis feu Constitutionibus  
noftræ Congregationis, ema-  
nare. 2. Inter agenda, quæ  
occurrunt, indifferentia, ea  
potiùs eligendo, quæ natu-  
ræ noftræ repugnant, quàm  
quæ arrident ; nifi ifta, quæ  
placent fint neceffaria : tunc  
enim funt alijs præferenda ;  
ipfa tamen intuendo, non quâ  
parte fenfum delectant, fed  
duntaxat quâ Deo funt gra-  
tiora. Quòd fi plura agenda,  
per fe indifferentia, fimul of-

feruntur, quæ nec sunt grata  
nec ingrata, tunc quod-  
libet ex ipsis, tanquam à Di-  
uinâ Prouidentiâ oblatum,  
sine delectu assumere con-  
veni. 3. Quæcumque nobis  
inopinatò contingunt, siue  
adversa, siue prospera illa sint,  
siue corpus afficiant, siue  
animum, cuncta hæc, tan-  
quam à paternâ manu Domi-  
ni procedentia, æquanimiter  
acceptando. 4. Illa omnia  
præfata peragendo, hocce  
motiuo, quia tale est Dei  
beneplacitum, & vt in hoc  
ipso Christum Dominum,  
quantum in nobis est, imite-  
mur, qui eadem, & in eundem  
finem perpetuò adimpleuit,  
vt ipsemet testatur : Ego,  
inquit, quæ placita sunt

10 CAP. 2. *De Docum. Euangel.*  
*Patri, facio semper.*

4. Cùm Dominus Iesus à nobis exigat columbæ simplicitatem, quæ confistit tum in nuda declaratione rerum, vt se habent in corde, & absque inutilibus reflexionibus, tum in rebus sine fuco aut artificio agendis, Deum solum intuendo ; Ideò vnusquisque enixè operam dabit, vt omnia in eodem spiritu simplicitatis perficiat ; considerans Dei fermocinationem esse cum simplicibus ; eumque secreta cœlestia abscondere à Sapientibus & Prudentibus huius sæculi & reuelare ea Paruulis.

5. Sed quoniam Christus, dum columbæ simplicitatem commendat, prudentiam fer-



pētis ſimul præcipit amplecti ;  
quæ quidem eſt virtus, quâ dif-  
cretè loquimur & operamur ;  
Idcirco prudenter ea reticebi-  
mus, quæ nõ expedit reuelare,  
maximè cùm ex ſe vitioſa &  
illicita ſunt ; & ex ijs quæ  
aliquo modo ſunt bona aut  
licita, reſcindemus circum-  
ſtantias, quæ contra honorem  
Dei aut in damnum proximi  
vergunt, aut cor noſtrum ad  
inanem gloriam poſſunt in-  
clinare. Cùm autè hæc virtus,  
in agendis, verſetur circa ele-  
ctionem mediorum, quæ ad  
finem ſuum confequendum  
ſunt idonea ; Ideò apud nos  
ſanctum & inuiolatum erit,  
ſemper vti medijs diuinis ad  
res diuinas, & de rebus ſenti-  
re ac iudicare iuxta ſenſum

12 CAP. 2. *De Docum. Euāgel.*

& iudicium Christi, nunquam  
verò mundi ; neque etiam fe-  
cundum imbecillum intelle-  
ctus nostri ratiocinationem :  
& sic erimus prudentes sicut  
serpentes, & simplices sicut  
columbæ.

6. Omnes etiam magnam  
adhibebūt diligentiam in ad-  
discendâ hâc lectione à Chris-  
to traditâ : Discite à me quia  
mitis sum, & humilis corde ;  
attendentes, vt ipsemet afferit,  
mansuetudine possideri terrâ,  
quia huius virtutis exercitio  
corda hominum cõciliantur,  
vt ad Dominum convertâtur,  
quod non præstant, qui cum  
proximo durius & asperius  
agunt : humilitate verò cœlum  
acquiri, quo amor propriæ  
abjectionis solet exaltare,  
deducens

CAP. 2. *De Docum. Euagel.* 13  
deducens nos, quali per gra-  
dus, de virtute in virtutem,  
donec illuc perveniatur.

7. Sed hæc humilitas, quam  
Christus ipse tam sæpè nobis  
& verbo & exemplo com-  
mendavit, & ad quam acqui-  
rendam Congregatio debet  
omnem operam infumere,  
tres has conditiones exigit :  
quarum prima est, se hominũ  
vituperio dignum cum omni  
sinceritate reputare. 2. Gau-  
dere quòd alii imperfectum  
nostrum videant, & nos inde  
contemnant. 3. Si Dominus  
per nos, aut in nobis aliquid  
operetur, illud, si fieri possit,  
occultare ad aspectum pro-  
priae vilitatis ; sin autem id fi-  
eri non possit, totum Diuinæ  
mifericordiæ, & aliorum me-

B

14 CAP. 2 *De Docum Euāgel.*  
ritis attribuere. Et hoc est vni-  
verſe Euangelice Perfectionis  
fundamentum, noduſque to-  
tiuſ ſpiritualis vite : ei, qui hu-  
militatem iſtam poſſidebit, o-  
mnia bona venient pariter cū  
illâ ; qui verò eâ carebit, etiam  
quod habet boni, auferetur ab  
eo, continuiſque agitabitur  
anguiſtijs.

8. Cūm Chriſtus dixerit : qui  
vult venire poſt me, abneget  
ſemetipſum, & tollat crucem  
ſuam quotidie ; Et Paulus in  
eodem ſpiritu adiunxerit, Si ſe-  
cūdum carnem vixeritis, mo-  
riemini : Si autem ſpiritu facta  
carnis mortificaueritis, viue-  
tis : Vnuſque in aſſiduam  
ſcilicet propriæ voluntatis, pro-  
prięque iudicij abnegationem,  
ſenſuum quoque omniū mor-

CAP. 2. *De Docum. Euāgel.* 15  
tificationē incumbere studebit.

9. Immoderato pariter in Propinquos amori omnes renuntiabunt, iuxta consilium Christi è numero Discipulorum suorum eos excludentis, qui non oderint patrem & matrem, fratres & sorores ; centuplumque nunc in hoc mundo, & in altero vitam æternam promittentis, si eos propter Euangelium reliquerint. Quibus ostenditur quantum Christianae perfectioni impedimentum sint caro & sanguis. Parentes tamen spiritali amore, & secundum Christum amandi sunt.

10. Omnes ei Indifferentiæ, quam Christus ac Sancti tantoperè coluerunt, singulari diligentia studebunt ; ita vt

B ij

16 CAP. 2. *De Docum. Euāgel.*

neque ministerijs, neque personis, neque locis, præfertim Patriæ, neque vlli huiusmodi rerum, vlllo vnquam affectu inordinato adhærescant ; imò sint parati ac prompti hæc omnia, ad Superioris voluntatem nutumque, libenter deferere, omnemque circa illa repulsam, ac mutationem ab ipso procedentem, æquo animo patiantur ; illumque benè omnia fecisse in Domino fateantur.

11. In honorem communis vitæ, quam Christus Dominus ducere voluit, vt alijs conformis fieret, & hoc pacto faciliùs Deo Patri eos lucrifaceret : Omnes, quoad fieri poterit, in omnibus vniformitatè seruabunt ; illam spectantes

tanquam boni ordinis, ac sanctæ vnionis tutricem ; fugientque pariter Singularitatem, vt inuidiæ ac diuisionis radicem ; idque non solum quoad victum, vestitum, lectum, & cætera huiusmodi ; sed etiam quoad rationem Dirigendi, Docendi, Prædicandi, Gubernandi; necnon & quoad praxes spirituales. Vt autem hæc Vniformitas possit apud nos perpetuò conseruari ; vnicum nobis adhibendum est medium ; nempe exactissima Regularū seu Cōstitutionū nostrarū obseruatio.

12. Actus Charitatis erga Proximū apud nos incessanter vigeant, quales sunt, Alijs facere quod nobis iuste fieri ab ijs vellemus. 2. Alijs assentiri

18 CAP. 2. *De Docum. Euāgel.*  
ac omnia in Domino appro-  
bare. 3. Se inuicem supportare  
sine murmuratione. 4. Flere  
cum flentibus. 5. Gaudere cum  
gaudentibus. 6. Se inuicem ho-  
nore prævenire. 7. Sese alijs  
beneuolum & officiosum ex  
imò corde præstare: Denique  
omnibus omnia nos facere,  
vt omnes Christo lucrifacia-  
mus. Quæ omnia intelligenda  
sunt, dummodo nihil contra  
Diuina vel Ecclesiastica præ-  
cepta, aut nostræ Congrega-  
tionis Regulas seu Constitu-  
tiones, vlllo modo agatur.

13. Si quando Diuina Pro-  
videntia permittat Congre-  
gationem, aut aliquam ip-  
sius Domum, aut quempiam  
ex suis subditis calumnia vel  
persecutione gratis impugnari



CAP. 2. *De Docum Euāgel.* 19  
ac exerceri, diligētissimè caue-  
bimus ab omni vindicatione,  
aut maledictione, aut etiam  
querela vlla in ipsos Perfecu-  
tores ac Calumniatores ; imò  
de hoc ipso Deum laudabimus  
& benedicemus ; & tanquam  
de occasione magni Boni, def-  
cendentis à Patre luminum, ei  
cū exultatione gratias agemus.  
Quinetiam pro illis omnibus  
ipsum ex animo precabimur,  
necnon illis, cū sese op-  
portunitas ac facultas offe-  
rent, lubenter beneficiemus ;  
attendentes quod Christus id  
nobis, sicut & cæteris fide-  
libus præcipit, dicens ; Diligite  
inimicos vestros, Benefacite  
his qui oderunt vos ; & Orate  
pro persequentibus & Calum-  
niantibus vos. Et vt omnia

B iij

20 CAP. 2. *De Docum. Euāgel.*  
hæc facilius & lubentius ob-  
feruemus, afferit quòd in hoc  
Beati erimus, & ob idipsum  
gaudere ac exultare debemus,  
quoniam merces nostra co-  
piofa est in Cœlis : Et, quod  
caput est, ipse prior hoc digna-  
tus est erga homines adimple-  
re, vt nobis exemplum daret ;  
quod postea imitati sunt A-  
postoli, Discipuli, ac inn-  
umeri Christiani.

14. Quamuis præfata omnia  
Euangelii Documenta, tanquã  
sanctissima ac vtilissima, quan-  
tum in nobis est obseruare  
debeamus : quia tamen quæ-  
dam ex illis nobis magis con-  
veniunt, illa scilicet, quæ pe-  
culiari ratione Simplicitatẽ,  
Humilitatem, Mansuetudinẽ,  
Mortificationem & Zelum

animarum commendat ; Congregatio his colendis atque exercendis accuratiùs incumbet, ita vt hæ quinque virtutes sint veluti facultates animæ totiùs Congregationis, omnesque nostræ fingulorum actiones illis sèper animentur.

15. Et quoniam Sathanas ab istorum documentorum exercitio, sua ijs prorsus contraria opponendo, nos semper avocare nititur : Ideò maximã quisque adhibebit prudentiam ac vigilantiam ad illa omnia fortiter & animose oppugnanda ac deuincenda; ea maximè quæ magis Instituto nostro repugnant: qualia sunt ; 1. Prudentia carnis. 2. Velle videri ab hominibus. 3. Appetere vt quisque nostro iudicio ac

22 CAP. 2. *De Docum Euāgel.*

voluntati semper subijciatur.

4. Quærere in omnibus suæ naturæ satisfactionem. 5. In-  
sensibilitas erga honorem Dei  
& salutem Proximi.

16. Cumque Malignus Spiritus se frequenter in Angelum lucis transfiguret, suisque interdum illusionibus nos decipiat ; Omnes sibi diligenter ab ijs cauebunt, modumque eas discernendi ac superandi addiscere studebunt. Cúmque experimento compertum sit præsentissimum ac tutissimum esse remedium in hoc casu, quàm citissimè rem aperire ijs, qui à Deo sunt ad hoc deputati : Idcirco cum quis se cogitationibus aliquâ illusionis suspectis, siue graui angustiâ aut tentatione vexari

fenferit, quamprimùm poterit, id Superiori aut Directori ad id delignato patefaciet, vt congruum adhibeatur remedium : quod quisque, tanquam de manu Domini, recipiet, approbabit, ac sibi cum fiducia ac reuerentia applicabit. Ante omnia cauebit ne vlli alij, siue Nostrorum siue Externorũ, rem vlllo modo manifestet ; cùm experientia constat huiusmodi manifestatione malũ fieri deterius, alios eiusdem mali contagione infici, imò & totam Congregationem tandem magnum inde detrimentum capere.

17. Et quoniam vnicuique mandauit Deus de proximo suo, & nos inuicem vt potè eiusdẽ corporis mystici mem-

bra iuuare debemus ; vbi quis nouerit aliquem graui tentatione agitari, vel in culpam notabilem incidisse, statim in spiritu Charitatis, & meliori modo, quo poterit, curabit vt his duobus malis debite & tempestiue conuenientia remedia per Superiorem adhibeantur. Quisque etiam ad maiore progressum in virtute faciendum, boni confulet, & gratum habebit, vt sui defectus Superiori in eodem spiritu Charitatis manifestentur per quemuis, qui extra Confessionem eos obseruauerit.

18. Cū Dominus noster uenerit in Mundum, vt in animas Imperium Patris sui repararet ; illas scilicet eripiendo à Dæmone, qui eas inordinata

diuitiarum

CAP. 2. De Docum. Euāgel. 2  
diuitiarum, honoris, & vo-  
luptatis cupiditate callidè de-  
cipiendo, rapuerat ; congruum  
cenfuit benignus hic Saluator  
cum fuo Aduerfario contrarijs  
Armis, fcilicet Paupertate,  
Cafitate, & Obedentiâ cer-  
tare, ficuti fecit vſque ad  
mortem. Cúmque minima  
Congregatio Millionis in Ec-  
clefiâ Dei in eum finem fur-  
rexerit, vt Animarum Saluti,  
maximè Pauperũ Ruricolarũ,  
inferuiret, nullis vtique for-  
tioribus & aptioribus armis vt  
poſſe iudicauit, quàm ijf-  
dem, quibus iſta Sapientia  
Æterna tam feliciter, tamque  
vtiliter vſa eſt. Quapropter  
Omnes & Singuli, huiufmodi  
Paupertatem, Cafitatem, &  
Obedentiam, fideliter & per-

C

26 CAP. 2. *De Docum Euangel.*

petuò, iuxta Inſtitutum no-  
ſtrum, ſeruabunt. Et vt ſecu-  
riùs ac faciliùs, & etiam cum  
ampliori Merito, in ijs Virtu-  
tibus obſeruandis, poſſint  
vſque ad mortem perfeuerare,  
Vnuſquiſque, ea, quæ in ſe-  
quentibus capitibus circa id  
ſtatuuntur, maximâ, quâ pote-  
rit fidelitate, exſequi in Dom-  
ino conabitur.

---

CAPVT III.

*De Paupertate.*

1. CVm ipſe Chriſtus, verus  
vniuerſorum bonorum  
Dominus, ita Paupertatem  
amplexus fuerit, vt non habe-  
ret vbi reclinaret caput ſuum,  
eoſque, qui ſecum in Miſſio-  
nibus laboraverūt Apoſtoloſ  
ſcilicet & Diſcipuloſ, in ſimili



inopiæ gradu conflituerit, ita  
vt nihil proprium haberent ;  
& sic expediti cupiditatem  
diuitiarum, quæ totum ferè  
Mundum perdit, meliùs ac  
coõmodiùs expugnarent ; Vnuf-  
quisque in hac virtute colédâ,  
ipsum pro fuâ tenuitate imita-  
ri conabitur; certò sciens hanc  
fore inexpugnabile propu-  
gnaculum, quo Congregatio,  
Diuinâ aspirante gratiâ, per-  
petuò conferuabitur.

2. Et quamuis Ministeria no-  
stra in Millionibus, quatenus  
sunt gratis obeũda, nequaquã  
ferre possint, vt Paupertatem  
omnimodè profiteamur ; affe-  
ctu tamen, & quantum in  
nobis erit, effectum, ipsam  
obseruare in Domino conten-  
demus ; idque præsertim iuxta

28 CAP. 3. *De Paupertate.*

ea quæ hic præscribuntur.

3. Omnes & Singuli noſtræ Congregationis intelligent, quòd, exemplo primorū Chriſtianorum, erunt nobis omnia communia, & illa ſingulis diſtribuentur à Superioribus, nimirum victus, veſtitus, libri, & ſupellectilia & cætera, prout cuique opus erit: ne tamen quicquam fiat contra Paupertatem, quam amplexi ſumus, nemo de huiusmodi bonis Cõgregationis diſponere, aut diſpenſare quicquam poterit, niſi de licentiâ Superioris.

4. Præterea, Nullus quicquã habebit incõſcio, vel non concedente Superiore ; aut quod non ſit paratus ſtatim relinquere ad præceptum, vel etiam ad nutum illius.

5. Nemo vllâ re tanquam propriâ vtetur. Nemo quicquam donabit, aut accipiet, vel dabit mutuò aut commodatò, aut aliunde petet, sine licentiâ Superioris.

6. Eorum quæ sunt vfibus aliorum deputata, vel in communi fepofita, aut relicta, nemo quicquam fibi fumet, ne libros quidem ; aut quod ad vfum fuum fibi datum est, alteri tradet, sine Superioris confenfu ; aut id patietur negligentîâ fuâ perire, aut fieri deteriùs.

7. Nullus fuperflua, aut curiofa exquiret. Neceffaria autem, ipforumque defideriũ ita quifque moderabitur, vt victus, cubiculi, & lecti ratio, fit tanquam Pauperi accom-

30 CAP. 3. *De Paupertate.*  
modata ; vtque in his, ficut in  
omnibus, effectus aliquos  
Paupertatis experiri fit para-  
tus ; quinetiam viliffima quæ-  
que eorum, quæ domi funt, fi-  
bi tribui, libenter patiatur.

8. Et vt nihil apud Nos cer-  
natur quod Proprietatem vel  
minimam redoleat, cubicula  
noſtra non ita erunt clauſa,  
quin extrinſecus aperiri poſ-  
ſint ; nec in ijs vlla arca, ſiue  
quicquam aliud claue parti-  
culari obſeratum aſſeruabitur,  
nifi cum expreſſâ Superioris  
facultate.

9. Nemo etiam ex vnâ Do-  
mo in aliam pergens, quic-  
quam ſecum aſportabit ſine  
licentiâ Superioris.

10. Et quoniam Virtus  
Paupertatis, ſolo etiam appe-

titu inordinato ad Bona temporalia, potest violari : Vnufquifque diligenter cauebit, ne hoc malum, etiam quoad Beneficia, fub fpecie Boni fpiritualis, ambienda, cor fuum inuadat ; Ideoque, nequidem ad vllum Beneficium, aut Dignitatem Ecclefiafticam, fub quocumque prætextu, afpirabit.

---

CAPVT IV.

*De Caftitate.*

1. SALuator nofter quanti Caftitatem coleret, quãque ardentè illam in corda hominum infinuare cuperet, euidenter fignificauit, ex eo quòd per operationem Spiritus Sancti, fupra naturae leges, de Virgine intactâ nafci vo-

32. CAP. 4. *De Castitate.*

luerit ; & à vitio oppolito ita abhorruerit, vt quamuis atrociffima crimina fallò fibi imputari permiferit, vt iuxta defiderium fuum opprobrijs faturaretur: nulquam tamen impudicitiae, ne dicam accufatione, fed ne quidem fufpicionem vllâ, à fuis etiam infeniffimis hoftibus notatû fuiffè legamus : Ided multum intereft, vt Congregatio fingulari huius virtutis acquirendae defiderio exardelcat, eamque perfectiffimè colere femper & vbique profiteatur ; quod tantò magis nobis cordi effè debet, quantò ftrictiùs ad ferè continuam cum Sæcularibus vtriuſque ſexus conuerſationem, nos Miſſionis exercitia addicunt. Qua-

propter vnusquisque, in hac  
Castitate tum corporis tum  
animi integrè conseruandâ,  
omnem curam, diligentiam,  
& præcautionem adhibere,  
quantũ in se erit, conabitur.

2. Vt autem, Deo auxiliante,  
id assequi valeat, sensus tum  
interiores, tum exteriores vi-  
gilantissimè custodiet ; Mu-  
lieres nunquam solus cum  
sola (loco & tẽpore indebitis)  
alloquetur ; illas alloquendo,  
vel ad eas scribendo, à verbis,  
etiam si pijs, teneram erga eas  
benevolentiam redolentibus,  
omnino abstinebit ; Illarum  
Confessiones audiendo, sicuti  
extra Confessionem collo-  
quendo, ad eas propiũ non  
accedet : nec de sua Castitate  
præsumet.

34. CAP. 4. *De Castitate.*

3. Et quoniam intemperantia est veluti mater & nutrix impuritatis, vnusquisque in se erit temperans, & quoad fieri poterit, cibis communibus, & vino, aquâ plurimâ diluto, vtetur.

4. Insuper, Omnes sibi persuadebunt Millionarijs nequaquam sufficere, huiusce virtutis gradum attingisse non mediocrem, imò prætereâ requiri, vt totis viribus nitantur impedire, si fieri possit, ne vllus hominum de aliquo Nostrorum vel leuissimam vitij contrarij suspicionem possit concipere : hæc enim sola suspicio, etiam si omnino iniusta, plus obesset Congregationi, ipsiusque pijs Ministerijs, quàm alia crimina



falsò nobis imputata, eò maximè quòd exiguus aut nullus ob id colligeretur fructus ex Millionibus nostris. Quare, ad Malum hoc præueniendum, aut tollendum, omnibus, quæ occurrere poterunt, medijs, non modò ordinarijs, verùmetiam (si res postulat) extraordinarijs vtetur ; cuiusmodi est istud, ab aliquibus operibus, alioqui licitis, & etiam bonis ac sanctis, interdum abstinere, cùm scilicet, iudicio Superioris aut Directoris, illa videntur dare locũ timèdi huiusmodi suspicionẽ.

5. Et quia Otiositas est No-verca Virtutum, maximè Castitatis: Vnusquisque Vitium hoc ita fugiet, vt semper inveniatur vtiliter occupatus.

---

CAPVT V.

*De Obedientiâ.*

1. IN honorem Obedientiæ,  
quam Dominus noster  
Iesus Chriftus verbo & exem-  
plo nos docuit, cùm Beatiffi-  
mæ Virgini, Beato Iofepho,  
necnon & alijs Perfonis in  
Dignitate conftitutis, tum  
bonis, tum dyfcolis, fubditus  
effe voluit ; Omnibus & Singu-  
lis Præpofitis noftris, ipfos in  
Domino, & Dominum in ip-  
fis attendentes, exactè obe-  
diemus ; in primis Sanctiffi-  
mo Domino noftro Papæ Re-  
uerentiam & Obedientiam fi-  
deliter & fincerè præftabi-  
mus : Obedientiam quoque  
Illuftriffimis ac Reuerendiffi-  
mis DD. noftris Epifcopis, in  
quorum

CAP. 5. *De Obedentiâ.* 37

quorum Diœceſibus Inſtituta fuerit Congregatio, humiliter, & conſtanter, iuxta Inſtitutum noſtrum, exhibebimus. Prætereà nihil in Eccleſijs Parochialibus aggrediemur abſque Parochorum conſenſu.

2. Omnes etiam & ſinguli Superiori Generali obediemus promptè, hilariter & perſeueranter, in omnibus vbi peccatum non apparet, & cæcâ quadam Obedentiâ, proprium iudiciũ, propriamque voluntatem ſubmittentes, idque non ſolùm quoad eius voluntatem nobis notificatam, ſed etiam quoad eius intentionem : exiſtimantes illud ſemper ad melius eſſe, quod ipſe præcipit ; noſque illius diſpoſitioni, quali li-

D

38. CAP. 5. *De Obedientia.*  
mam in manibus fabri, committentes.

3. Et hæc Obedientia cæteris Superioribus tam particularibus, quàm Visitatoribus, necnon Officialibus subordinatis pariter exhibenda erit. Quisque etiam campanæ sono, vt voci Christi obedire conabitur ; ita vt ad primum eius signum studeat vel ipsam imperfectam litteram relinquere.

4. Et vt Congregatio faciliùs & citiùs in hac virtute progressum faciat, pro viribus nitetur, vt pia illa consuetudo nihil petendi, nihilque recusandi, apud nos semper vigeat : attamen, cùm quis noverit aliquid sibi esse vel nocivum vel necessarium, id

coram Domino examinabit, vtrum idipsum Superiori aperire debeat, vel non, & se indifferentem habebit quoad responsum futurum ; & hoc pacto dispositus, rem Superiori declarabit ; tenebitque pro certò voluntatem Dei sibi significari per voluntatem Superioris ; quâ cognitâ statim acquiescet.

5. Omnes statuti cuiuslibet hebdomadæ diebus, & horis, in locum assignatum conuenient ; vt, que circa ordinem domesticum monenda sunt, à Superiore audiant : & si quid habent proponendum, ei significant.

6. Nemo quicquam alijs præcipiet, aut vllum reprehendet, nisi ad id à Superiore

40 CAP. 5. *De Obedientia.*  
deputatus fit, aut ex Officio  
iam teneatur.

7. Nullus ab vno Superiore  
repulfam paffus, alium Supe-  
riorem adibit fuper eâ re,  
quin repulfam, & repulfæ  
caufam illi fignificet.

8. Nemo curam alicuius rei  
fibi commiffam deferet, licet  
aliquo fuperveniente negotio  
impeditus, quin maturè ad-  
moneat aliquem ex Superiori-  
bus, vt fi opus eft, alium  
fubftituat.

9. Sicut nullus in alterius  
Officium aut Ministerium fe  
ingerere debet, ita cùm quis  
rogatus ab aliquo, maximè ex  
Officialibus etiam minoribus,  
vt ipfum obiter adiuvet, id  
benignè præftabit, nifi quid  
obftet : fi tamen in hac re diu-

CAP. 5. *De Obedientia.* 41  
tius occupari oporteret, id  
non fiet nisi prius obtentâ  
Superioris licentiâ.

10. Nemo in locum alieno  
Ministerio destinatum introi-  
bit absque licentiâ Superio-  
ris ; In rebus autem necessa-  
rijs, sufficiet licentia Præfe-  
cti illius loci.

11. Vt occurratur multis non  
parvi momenti incommodis,  
quæ possent euenire, nullus  
litteras scribet, mittet, aut  
aperiet absque facultate Su-  
perioris ; cui scriptas quisque  
dabit, vt eas vel mittat, vel  
retineat, prout sibi visum  
fuerit.

12. Et vt Obedientia aliquid  
etiam conferat corporis sani-  
tati, nullus extra consueta  
tempora potum, aut cibum

D ij

42 CAP. 5 *De Obedientia.*  
lumet, sine Superioris licentia.

13. Nullus absque Superioris facultate generali aut speciali, in cubiculum alterius intrabit, neque illud aperiet, quin ei responsum fuerit, ingredi : quoad autem una erunt, tandiu ianua patebit.

14. Nemo etiam alios, maxime Externos, in cubiculum suum introducet, nisi accepta ab eodem Superiore licentia.

15. Nemo librum aut componet, aut ex una lingua in alteram vertet, & in lucem edet, sine expressa tum approbatione tum facultate Superioris Generalis.

16. Nullus ex Coadiutoribus nostris, Officio Marthae destinatis, ad studium linguae



Latinæ, nedum ad statum  
Ecclesiasticū adspirabit. Quod  
si quis in se tale desiderium  
senserit, illud protinus nite-  
tur extinguere, tanquam à  
maligno spiritu procedens ;  
qui fortè speciosa superbiâ,  
zelo animarum velatâ, ipsos  
perdere intendit. Legere au-  
tem vel scribere non addif-  
cent sine exprellâ Superioris  
Generalis licentiâ.

---

CAPVT VI.

*De ijs quæ ad Infirmos spectant.*

1. CVM inter cætera, quæ  
Christus operabatur  
frequentiusque commenda-  
bat ijs, quos in vineam suam  
mittebat, hoc vnum ex præ-  
cipuis fuerit, Infirmorum,  
maximè pauperum cura ac

D iiij

44      CAP. 6. *De ijs quæ*  
vifitatio : Ideo Congregationi  
peculiaris erit cura, illos non  
folùm domesticos, verùm  
etiam externos, cum Superio-  
ris confenfu, inuifendi ac fu-  
bleuandi; illis tum corpora-  
lia, tum fpiritualia fubfidia,  
quæ commodè poterunt, fub-  
miniftrando, præfertim in  
Millionibus ; & prætereà fin-  
gularem curam adhiben-  
do in Confraternitate Cha-  
ritatis erigendâ ac vifitan-  
dâ.

2. Vbicumque Infirmum  
aliquem fiue Domi, fiue ex-  
tra Domum, vifitabunt, illum  
non vt hominem, fed vt Chri-  
ftum ipfum, tale fibi obfe-  
quium præftari afferentem,  
fpectabunt : ideoque quilibet  
fe ibi modèftè geret, ac sub-

missâ voce loquetur, & de rebus, quæ ipsum exhilarare & consolari, necnon circumstantes ædificare possint.

3. Infirmi quoque nostri sibi persuadebunt, se non solum in valetudinario & lecto detineri, vt remedijs curentur ac sanentur, sed etiam vt virtutes Christianas, maximè patientiam, & conformitatem cum Diuinâ voluntate, velut ex suggestu, suo saltem exemplo doceant ; & sic, omnibus se inuisentibus, sibi que ministrantibus, Christi bonus odor sint ; adeo vt virtus ipsorum in infirmitate perficiatur. Cùm autem inter cæteras virtutes, quæ in ægrotis requiruntur, obedientia sit etiam multum necessària : ideò Me-

46 CAP. 6. *De ijs quae, &c.*  
dicis, non tantum spiritualibus, sed etiam corporalibus, tum Infirmario, aliisque ad sui curam destinatis, exactissime illam exhibebunt.

4. Et ne quis circa Infirmos abusus subrepat, omnes qui se male affectos sentient, id Superiori, vel Praefecto sanitatis, aut Infirmario significabunt : Nemo vero medicinam ullam sumet, aut Medico nostro utetur, aut alium confulet, nisi cum Superioris approbatione.

---

CAPVT VII.

*De Modestia,*

1. Tanta in Christo Domino modestia tum in facie & gestu, cum in sermone elucebat, ut usque ad in-

teriora deferti ad se attraheret  
multa populorum millia, quò  
ipfius aspectu fruerentur, ver-  
baque vitæ æternæ, quæ pro-  
cedebant ab ore eius, audi-  
rent ; ita vt, cibi potufque ne-  
cessarij fumendi obliuifceren-  
tur : hanc amabilem virtu-  
tem in tanto Magiftro imi-  
tari debent Millionarij; qui,  
cùm ex Infituto fuo tenean-  
tur cum Proximo frequenter  
agere, timere debent femper,  
ne quod functionibus & mi-  
nifterijs fuis in Domino ædi-  
ficauerint, id malo exemplo  
vel minimæ immodestiae de-  
ftruant. Quapropter id Om-  
nes, quod D. Paulus primis  
Christianis cõmendabat, (mo-  
destia ueftra nota fit omnibus  
hominibus) diligenter obfer-

48 CAP. 7 *De Modestia.*  
vabunt. Vt autem id præstare  
valeant, Regulas particulares  
modestiæ, in Congregatione  
præscriptas, & has sequentes,  
in vfu habere sedulò curabūt.

2. Imprimis ab inordinata  
oculorum euagatione absti-  
nebunt, præsertim in Tem-  
plo, in mensâ, & in publicis  
actionibus ; efficientque vt  
nihil leue aut puerile in gestu,  
nihilque affectatum aut mun-  
danum in incessu appareat.

3. Cauebunt Omnes ne se  
inuicem , etiam per iocum,  
tangant, nisi quando in si-  
gnum Charitatis, & causâ sa-  
lutationis, se mutuò amplecti  
conuenit ; cùm scilicet quis  
peregrè egreditur aut regre-  
ditur, vel est recens admissus  
in Congregatione.

4. Quisque

4. Quisque honestæ munditiei seruandæ, præsertim in vestibus, studiosus erit : ab illâ verò, quæ est nimis exquisita, aut affectata, omnino abstinebit.

5. Quisque pauperem suam, & hanc paucissimam supellectilem, mundam ac benè dispositam seruabit in cubiculo ; quod etiam tertio quoque die scopis euerret, ac lectum manè surgendo decenter componet ; nisi propter eius infirmitatem aut negotium aliquod, alius ad id suffectus sit à Superiore.

6. Nemo è cubiculo nisi decenter vestitus egredietur.

7. Et vt faciliùs & citiùs coram alijs Modestiam nostram exhibere valeamus,

E

50. CAP. 8. *De mutuâ*  
Vnusquisque priuatim, etiam  
folus in cubiculo, modeste  
se habere, Deum præsentem  
intuendo, folicite studebit ;  
& præsertim cauebit, ne ab-  
que indusio, aut non suffi-  
cienter coopertus, noctu dor-  
miat.

---

CAPVT VIII.

*De Mutua Nostrorum Conuer-  
satione.*

1. CVM Christus Saluator  
nostrer Apostolos ac  
Discipulos in vnum congre-  
gasset, nonnulla rectè inter  
se conuiuendi Præcepta ipsis  
tradidit, cuiusmodi sunt, vt se  
inuicem diligenter ; alter al-  
terius pedes lauarent ; si quid  
haberet alter aduersus alter-  
um, iret statim reconciliari



fratri fuo ; bini incederent :  
denique fi quis vellet inter  
eos effe maior, minor fieret ;  
& alias his fimiles. Idcirco  
noſtra minima Congregatio,  
Chrifti & Discipulorum ve-  
ſtigijs infiltrere cupiens, fe-  
quentes Regulas, quæ ratio-  
nem benè inter nos conui-  
uendi & colloquendi ſpectât,  
ſimiliter debuit habere : quas  
vnufquifque pro viribus ob-  
ſeruare ſtudebit.

2. Vt Charitas fraternitatis,  
ac ſancta vnio ſemper maneat  
in nobis, & omnimodè con-  
feruetur, ſinguli ſe inuicem  
magnâ reuerentiâ proſegue-  
tur, in morem tamen charo-  
rum amicorum, inter ſe ſem-  
per conuiuentes. Particula-  
res autem amicitias, perinde

ac auerfiones diligenter vitabunt ; cùm hæc duo vitia effe originem diuifionum, ac ruinam Congregationum, experimento compertum fit.

3. Omnes fingularem, vt decet, honorem Superioribus exhibebunt, ijsque caput aperient ; & cauebunt ne eisdem Superiores fe alloquentes interpellent, aut, quod peius eft, illis refiftant verbo. Omnes pariter caput aperient Sacerdotibus ; Seminariftæ & Scholaftici, fuis Directoribus & Præceptoribus. Sacerdotes etiam fe fe inuicem hoc honore præuenire in Domino ftudebunt. Ne tamen detur locus evagationi oculorum aut mentis, nemo, dum menfæ accumbit, cuiquam, præter-

quàm Superiori, vel alicui  
Externo infigniori, aperiet  
caput.

4. Et quoniam Scriptura te-  
ftatur tempus eſſe loquendi  
& tempus tacendi, & in mul-  
tiloquio non defuturum pec-  
catum ; & etiam diuturno  
experimento fatiſ conſtet,  
vix fieri poſſe, vt Communi-  
tas vlla Deo Dicata, in bono  
diu perfeueret, ſi in ea nullus  
locutioni modus præſcriba-  
tur, nullaque ſilentii ratio  
habeatur. Ideò apud nos ſi-  
lentium extra recreationis  
tempus ſeruabitur ; ita vt ex-  
tra illud nemo ſine neceſſita-  
te loquatur, niſi obiter & ver-  
bis perpaucis, ac voce ſubmiſ-  
ſa, maximè in Eccleſia, in  
Sacriſtia, in Dormitorio, &

in Refectorio, præfertim dum mensæ difcumbitur : si tamen alicui accumbentium quicquam deest, is qui affidet, vno verbo, si nutu, alioue signo id non possit, eum, qui ministrat, admonebit. Quocumque autem tempore loquamur, etiam horis Conuersationi destinatis, semper à nimiâ vocis contentione, vel elatione caueamus ; Cùm inde & nostri & Externi possint malam accipere ædificationem.

5. Nemo ex Nostriis cum Seminaristis, aut cum Scholasticis, alijsque, etiam Sacerdotibus, qui biennium ab ègressu è Seminario nondum expleuerunt, colloquium sine Superioris facultate, habebit, nisi ad illos obiter & vno

*Noſtro Conuerſatione.* 55  
verbo ſalutandos, cùm id charitas à nobis exigit.

6. Ad majorem ſilentij obſervationem, attendet Vnufquiſque, vt, dum in cubiculo verſatur, vel per Domum, præfertim noctu, incedit, vel etiam ianuas aperit, aut claudit, quoad fieri poterit, ſtrepitus non edatur.

7. In quotidianis Conuerſationibus, ac recreationibus, ita Modeltiam cum hilaritate jungemus, vt ſemper, quoad fieri poterit, vtile dulci miſceamus, & omnibus exemplo noſtro præluceamus. Quod vt faciliùs aſſequamur, colloquia noſtra erunt, vt plurimum, de ijs quæ ad pietatẽ, vel doctrinam Miſſionarijs requiſitam, conducunt.

E iij

56. CAP. 8. *De mutua*

8. In mutuis huiusmodi colloquijs, sicut & in alijs quæ aliquando licitè habenda occurrunt, operam dabimus ; vt inter cætera colloquendi argumenta, ea maximè, quæ ad amorem vocationis nostræ, studiumque propriæ perfectionis iuuant, in medium proponamus; ad id nos inuicem stimulantel, nunc quidem commendando virtutem, putà deuotionem, mortificationem, Obedientiam, humilitatem ; nunc verò earum partes aduersus eos, qui sinistre de ijs loquerentur, humiliter & suauiter defendendo. Quòd si quæ ex illis virtutibus, sēsui nostro repugnet, id Superiori vel Directori duntaxat aperiemus ; & diligenter cauebi-

mus ne alijs siue palam, siue priuatim id detegamus.

9. Omnem in colloquendo pertinaciæ aut contentionis speciem, etiam per modum recreationis magnâ diligentia fugiemus ; quinetiam aliorum sententiam nostræ in omnibus non illicitis, quoad fieri poterit, antepone in Domino studebimus. Si quis tamen circa rem propositam diuersæ fuerit sententiæ, rationes suas modestè & in spiritu humilitatis poterit proferre : Imprimis autem cauebunt omnes ne inter colloquendum quicquam molestè aut ægrè ferre, aut se offensos in aliquem ostendant, aut verbis vel factis, aut alio quouis modo lædant.

10. Omnes summæ Religioni ducent, seruare secretum, nonmodò circa ea quæ ad Confessionem, aut Directionem pertinent, verumetiam quæ fiunt vel dicuntur in Capitulo, quoad culpas & pœnitentias ; sicut & cætera, quorum reuelationem nouimus esse à Superioribus, vel à parte rei prohibitam.

11. Nemo aliorum, maximè Superiorum famam vel leuiter attinget, aut contra illos commurmurabit, aut quicquam, quod in nostrâ Congregatione, sicut & in alijs Communitatibus fiat aut dicatur, cenfurâ notabit.

12. Nemo de administratione Domus curiosè inquiret ; aut de eâ cum alijs sermonem



habebit ; aut contra Congregationis Regulas feu Constitutiones, vel pias etiam Conſuetudines, ſiue directè, ſiue indirectè loquetur.

13. Nemo de victu, veſtitu & cubitu conqueretur ; aut etiam colloquetur, niſi ratione ſui Officii ad id ſit deputatus.

14. Nemo in malam partem de alijs Nationibus, vel Prouincijs loquetur ; cùm mala non parua inde ſoleant euenire.

15. In publicis Diſcordijs & Bellis, quæ inter Principes Chriſtianos oriri poſſunt, nullus ſe in alterutram Factionis partem inclinari ſignificabit ; ad imitationem Chriſti, qui inter litigantes fratres ef-

60. CAP. 8. *De mutuâ, &c.*  
le arbiter, & de Iure Principum iudicare noluit ; id vnum prædicans, reddenda esse quæ sunt Cæsarif, Cæfari, &c.

16. Vnufquifque à colloquijs de rebus, quæ ad rationem Status feu Regnorum, aliaque negotia Sæcularia publica, pertinent, maximè de Bello, & Principum contentionibus præfentis temporis, cæterifque eiufmodi rumoribus Seculi, longè aberit ; & etiam de iftis omnibus, quo ad fieri poterit, cauebit quicquam fcribere.

---

CAPVT IX.

*De Conuerfatione cum Externis.*

1. PRæter regulas, quas  
Saluator nofter dedit  
Apoftolis ac Difcipulis fuis de  
ratione

ratione inter se conuerfandi, adiunxit quædam præcepta de modo rectè fe gerendi cum proximo, cum Scribis, & Pharifæis, cum Præfidibus, quando ad eorum Synagogas & Tribunalia ducerentur ; & quomodo, cùm ad conuiuia vocarentur, & alia eiufmodi. Quapropter ad eius exemplum, quafdam Regulas de ratione communicandi cum Externis fimiliter habere cõueniens fuit. Has igitur fideliter obferuare conabimur.

2. Etfi Inftitutum noftrum ad frequentem cum Sæcularibus conuersionem, maximè in Millionibus, nos astringit : eos tamen non adibimus, nifi cùm obedientia, aut neceffitas vocauerit ; & tunc memores

F

62. CAP. 9. *De Conuerfatione*  
erimus huius verbi Domini,  
vos eftis Lux Mundi ; vt fcili-  
cet Solis lucem imitemur,  
quæ & illuminat & calefacit,  
& quamuis per immunda  
tranfeat, nullam tamen puri-  
tatis fuæ iacturam patitur.

3. Omnes à litibus Externo-  
rum folicitandis, à legatis te-  
ftamentarijs exequendis, à  
commercijs & matrimonijs  
tractandis, ac fimilibus fecu-  
li occupationibus diligenter  
caebunt, iuxta confilium  
Apoftoli : nemo militans Deo,  
implicat fe negotijs sæculari-  
bus.

4. Nullus etiam piorum  
negotiorum curam fufcipiet,  
aut ad ea gerenda operam  
fuam promittet, aut ad id fe  
propenfum oftendet, fine Su-

5. Domi nemo loquetur cum Externis, aut alios è Noftris ad id vocabit sine facultate Superioris.

6. Nemo vllum Externum ad menfam inuitabit sine Superioris licentia.

7. Nullus cuiusquam Externi ad aliquem Noftrorum, aut alicuius è Noftris ad Externum, mandata aut literas, aut quid aliud deferet, sine Superioris licentiâ.

8. Nemo Regulas feu Constitutiones nostras Externis communicabit, sine expreffâ Generalis, aut Vifitatoris facultate : admittendis autem ifte Cõmunes poterunt ostendi cum licentiâ Superioris Particularis ; idque tempore

64. CAP. 9. *De Conuerfatione*  
Exercitiorum fpiritualium, &  
aliquando priùs, fi ei ita ex-  
pedire in Domino vifum fue-  
rit.

9. Nemo, quæ Domi acta  
vel agenda funt, temer & fi-  
ne fructu Externis referet, aut  
cum illis de rebus illis collo-  
quetur, quas non licet inter  
Nofros adducere in collo-  
quium, maximè de ijs quæ ad  
rationem Status feu Regni  
pertinent.

10. Cùm quis facultatem  
habet adeundi Externos, cum  
illis nonnifi de rebus neceffa-  
rijs, aut ad falutem & ædifi-  
cationem ipforum, aut pro-  
prium, aut vtrumque condu-  
centibus, colloquetur ; idque  
eâ, quâ par eft, Grauitate, De-  
uotione, ac Modeftiâ; iuxta

perfonarum, locorum, ac  
temporum circumftantias.

11. Nemo Domo egredietur,  
nifi quomodo, quando, &  
cum quo vifum fuerit Supe-  
riori; cuius erit focium defi-  
gnare, nifi ad id alium depu-  
tauerit : Is verò qui in focium  
datus eft, primas alteri cedit,  
eumque loqui finet.

12. Cùm quis facultatem à  
Superiore petierit aliquò eun-  
di, fimul etiam & aperiet quò,  
& cuius caufâ ire velit : & ita-  
tim atque Domum redierit,  
eorum quæ gefferit, ei ratio-  
nem reddet.

13. Nullus præterquam con-  
fuetâ Domus ianuâ ingredie-  
tur aut egredietur, nifi neces-  
fitas, aut Superioris licentia  
in hoc difpenfet.

66. CAP. 9. *De Conuerfatione*

14. Qui Domo egredientur, etiam qui facultatem haberent exeundi & redeundi per porticum, aut per Templum, nomini suo notam apponent, & Ianitorem admonebunt de horâ, quâ redituri funt, vt ipse ijs à quibus peterentur, possit fatifacere : ante lucem non egredientur, & ante noctem Domum se recipient : Ingressi autem statim notam suo nomini appositam auferent.

15. Nullus extra Domum cibum sumet absque Superioris licentiâ, præterquàm dum peregrè proficiscitur.

16. Nullus iter faciens, & tranfiens per locum, vbi sit Domus Congregationis, ad aliud hospitium, quàm ad il-



lam diuertet : & quandiu ibi fuerit, eius, qui illic præest, Obedientiæ subijcietur ; nihilque ibi, nisi de eius Confilio & Directione tractabit. Idem obseruabitur ab illo, qui ad negotia gerenda illuc uenerit.

---

CAPVT X.

*De pijs Exercitijs in Congregatione obseruandis.*

1. CHRISTUS Dominus, eiusque Discipuli, sua habebant pia Exercitia, cuiusmodi erant : stans diebus ad Templum ascendere, aliquoties in solitudinem secedere, Orationi vacare, & alia similia : Rationi itaque consonum est, ut hæc parua Congregatio suas quoque habeat spirituales

Exercitationes, quibus obseruandis diligentissimè incumbet, & alias qualque (nisi necessitas aut obedientia id vetet) postponet ; quippe quæ etiam ad cæterarum Regularum seu Constitutionum veram obseruationem, & ad propriam perfectionem efficacius conducunt.

2. Cùm iuxta Bullam Erectionis Congregationis nostræ, ineffabilia Sanctissimæ Trinitatis & Incarnationis Mysteria, peculiari ratione venerari debeamus : hoc accuratissimè, & si fieri possit, omnimodè adimplere conabimur, sed maximè hæc tria peragendo : 1. Crebro Fidei & Religionis actus erga huiusmodi Mysteria ex intimo cor-

*in Congregatione obseruādis. 69*

de eliciendo. 2. Ad illorum gloriam fingulis diebus aliquas preces, & pia opera offerendo ; & præfertim ipsorum Festa cum solemnitate, & maximâ, quâ poterimus, Deuotione celebrando. 3. Vigilanter enitendo, vt eorundem notitiam, honorem & cultum in animos Populorum, siue instructionibus, siue exëplis nostris ingeneremus.

3. Et quoniam, ad illa Mysteria optimè colenda, nullum præstantiùs dari potest medium, quàm debitus Cultus, & bonus vsus Sacrosanctæ Eucharistiæ; siue illam spectemus vt sacramentum, siue vt Sacrificium ; Quippe quæ in se veluti summam cæterorum Fidei Mysteriorum conti-

70 CAP. 10. *De pijs exercitijs*  
net, & per se animas dignè  
Communicantium, & ritè  
Sacrificantium, Sanctificat,  
& tandem Glorificat ; & hoc  
pacto, Deo Trino & Vno, &  
Christo incarnato ampliffi-  
ma gloria accedit : Ideò nihil  
erit Nobis commendatius,  
quàm vt erga hoc Sacramen-  
tum & Sacrificium honorem  
debitum exhibeamus ; Quin-  
etiam mente sollicità fataga-  
mus, vt ei ab omnibus idem  
honor & reuerentia reddatur :  
Id quod præstare pro viribus  
nitemur ; præsertim impe-  
diendo, quoad fieri poterit,  
ne circa illud quicquam irre-  
uerenter agatur, aut dicatur ;  
& sedulò alios docendo, quid  
de hoc tanto Mysterio crede-  
re, & quomodo debeant

*in Congregatione obseruãdis. 71*  
illud venerari.

4. Et quia eadem Bulla Nobis prætereà expressè commendat, vt fimiliter Beatissimam Virginem Mariam, peculiari Cultu veneremur, & idipsum alioqui varijsque titulis debemus præstare : Omnes & Singuli id perfectè, Deo auxiliante, exsequi contendemus ; 1. Singularem deuotionem hanc dignissimam Christi Matrem & Nostram, quotidie colendo. 2. Ipsius virtutes, maximè Humilitatem ac Castitatem pro viribus imitando. 3. Alios, quoties sese offeret opportunitas ac facultas, ardentem cohortando, vt ei eximium honorem, ac dignum seruitium constanter reddant.

## 5. Maximæ erit Nobis curæ

Officium Diuinum debite perfoluere, quod quidem Ritu Romano, & in communi, etiam in Millionibus recitabitur, sed voce mediocri & sine cantu, vt commodius Proximo iuuando vacemus ; illis tamen Domibus exceptis, in quibus, ratione Foundationum, vel Ordinandorum, vel Seminariorum externorum, vel aliâ simili necessitate, ad cantum Gregorianum obligamur. In quocunque autem loco vel tempore Horas Canonicas perfoluamus, meminerimus, qualem ad id Reuerentiam, Attentionem, ac Deuotionem adhibere debeamus, qui certò scimus nos Laudes Diuinas tunc celebra-

re-

*In Congregatione obseruãdis. 73*  
re, ideoque officio fungi  
Angelorum.

6. Cùm inter præcipua Mif-  
fionum nostrarum Minifte-  
ria, illud fit, alios ad dignam  
& frequentem Sacramento-  
rum Pœnitentiæ & Euchari-  
ftiæ receptionem, cohortari ;  
Conueniensẽt vt & Nos po-  
tiori ratione, hac in re, illis  
exemplo præluceamus, imò  
& longè antecellamus. Id igi-  
tur perfectiffimè adimplere  
ftudebimus : Et, vt omnia se-  
cundùm ordinem fiant, Sa-  
cerdotes bis aut faltem femel  
in hebdomada, vni ex Confef-  
farijs Domus ad hoc deputa-  
tis, & non alijs sine Superio-  
ris facultate, Confessionem  
facient : & quotidie, nili quid  
obtet, Miffam celebrabunt:

G

74.CAP. 10. *De pijs exercitijs*  
Cæteri verò, qui Sacerdotes  
non funt, fingulis diebus Sab-  
bati, & vigilijs præcipuorum  
Festorum, vni ex præfatis Con-  
fessarijs, nisi Superior alium  
designauerit, confitebuntur ;  
& fingulis diebus Dominicis,  
Festisque supra nominatis, iux-  
ta Directoris consilium, ad  
sacram Communionem acce-  
dent ; & quotidie Missam au-  
dient.

7. Cùm Christum Domi-  
num, in eo quòd, præter diur-  
nas meditationes, in Oratione  
Dei pernoctabat, omni ex  
parte imitari non valeamus :  
Iuxta tamen nostram tenui-  
tatem id agemus : Ideò Om-  
nes & Singuli Orationi Men-  
tali, per vnam horam, singu-  
lis diebus, & ex more Con-



*in Congregatione obseruadis. 75*  
gregationis, in communi, &  
in loco ad id assignato, sedulo  
vacabunt.

8. Vnusquisque fataget, vt  
nullum diem præterire sinat,  
quo non aliquid ex aliquo Li-  
bro Spirituali, iuxta propriam  
animæ necessitatem, per tem-  
pus à Superiore vel Directore  
assignatum, legat. Sacerdotes  
insuper, & omnes Clerici,  
caput vnum Noui Testamenti  
legent : & hunc Librum, tan-  
quam Christianæ perfectio-  
nis Regulam, venerabuntur :  
ad maiorem autem profe-  
ctum, huiusmodi lectio fiet  
flexis genibus, nudo capite,  
& saltem in fine tres sequen-  
tes actus adijciendo ; quorum  
primus erit, Veritates in eo-  
dem capite contentas adorare.

G ij

2. Se excitare ad eum spiritum induendum, in quo Christus, aut Sancti eas protulerunt.

3. Confilia aut Præcepta, quæ ibidem habentur, sibi proponere exsequenda, ac Virtutum exempla imitanda.

9. Ad clariorem defectuum nostrorum cognitionem habendam, & sic, cum Diuino auxilio, eorum expiationem, majoremque animæ puritatem allequendam: Omnes & Singuli quotidie duplici Examine Conscientiæ vtentur : altero quidem Particulari, quod ante prandium, & cœnam, de aliqua virtute sibi acquirenda, aut vitio extirpando, breuiter fiet : altero verò Generali, quod de singulis diei actionibus fiet paulò ante cubitum.

10. Vt Solitudinem Christi, illam maximè dierum quadraginta, quos manfit in deserto, veneremur; Omnes & Singuli, tum Ecclesiastici, tum Laici, Congregationem ingredientes, Exercitia Spiritualia, ac Confessionem Generalem totiùs anteaetæ vitæ, apud aliquem Sacerdotem à Superiore deputatum, facient : Ingressi eadem Exercitia cum alia Confessione ab vltimâ Generali peragent; Seminariistæ quidem sexto quoque mense, Cæteri verò singulis annis vtrumque præstabunt.

11. Et sicut vix in virtute progressum facere quis potest, sine alicuius Directoris Spiritualis adiumento ; ita nisi dirigendus aliquoties cum

78 CAP. 10. *De pijs exercitijs*  
proprio Directore, de statu  
suo interiori, vt par est, com-  
municet, difficillimum est vt  
ad perfectionē sibi conueniē-  
tem perueniat. Quapropter  
Omnes & Singuli rationem  
Conscientiæ, iuxta formulam  
in Congregatione tradi solitā,  
Superiori aut alicui ab  
ipso ad id deputato, saltem  
tertio quoque mensē, maxi-  
me dum Exerctijs Spirituali-  
bus vacabunt, & quoties id  
Superiori visum fuerit, cum  
omni sinceritate & deuotione  
reddent.

12. Conferentijs de Rebus  
Spiritualibus, quæ fient se-  
mel saltem in hebdomadā,  
Omnes diligenter ac deuotè  
aderunt ; quæ quidem, vt plu-  
rimùm, spectabunt propriæ

*In Congregatione obseruādis.*79

voluntatis, proprięque iudicij  
Abnegationem; Voluntatis  
Diuinę in omnibus faciendę  
Exercitationem, Vnionem  
fraternam, proprię perfectio-  
nis Zelum, & in alijs virtuti-  
bus progressum, maximę in  
illis, ex quibus spiritus Mis-  
sionis componitur.

13. Vt aliquantulum, & pro  
nostra tenuitate imitemur  
Christum, in eo quod humi-  
liauit semetipsum, & inter  
iniquos voluit reputari; Qua-  
libet feriā sextā, singuli suam  
culpam coram alijs dicent  
Superiori, vel alteri ipsius  
Superioris vices gerenti; id-  
que tam Domi, quā in Mis-  
sionibus; & æquo animo ad-  
monitiones ac pœnitentias sibi  
datas acceptabunt. Seruan-

G iij

80 CAP. 10. *De pijs exercitijs*  
da pariter erit pia illa confue-  
tudo petēdi in Capitulo, vt ibi  
publicè de noſtris defectibus  
admoneamur ; & tunc quif-  
que in ſpiritu Humilitatis &  
Charitatis, huiusmodi admo-  
nitionem facere curabit.

14. Prætereà, vt amorem  
propriæ abjectionis citiùs in  
nobis augeamus, & hoc pacto  
in via perfectionis magis ac  
magis proficiamus, quaſlibet  
humiliationis occaſiones, etiã  
extra Capitulum, & quocun-  
que tempore nobis oblatas  
æquanimiter amplecti in Do-  
mino nitentur : Idcirco cùm  
in fine Orationis Mentalis,  
vel Conferentiæ Spiritualis,  
aut alterius actionis publicæ,  
Superior aliquem vocauerit,  
vt de aliquo defectu admo-

*in Congregatione obseruadis.* 81

neatur ; ille genua illicò flectet, & in spiritu Humilitatis, ac tacens & libens, admonitionem audiet, pœnitentiam impositam recipiet, ac fideliter exsequetur.

15. Et si labores Missionariorum continui non patiantur eos per Regulam aliquam mortificationibus corporis & auferitatibus onerari ; illas tamen vnusquisque plurimi faciet, ad eaque affectu animi semper propendebit ; imò poterit, prout sanitas & feriæ occupationes permittent, illis uti ; exemplo Christi, & primorum Christianorum, & etiam multorum, qui pleni spiritu pœnitentiæ, viuunt in seculo: Nemo tamen, inconsulto Superiore vel Directore,

82 CAP.10. *De pijs exercitijs*  
vllas, nisi in confellione in-  
iunctas, affumet.

16. Vt aliquo modo Passio-  
nem Christi honoremus :  
Quisque feria sexta cuiusque  
hebdomadæ in ferotinâ refe-  
ctione contentus erit vno fer-  
culo, eoque oleribus aut  
leguminibus ; nisi in Missio-  
nibus, aut iter faciendo.

17. Feriâ secundâ & tertiâ  
post Dominicam Quinqua-  
gesimæ à carnibus Domi ab-  
stinebimus, vt hac san mini-  
mâ mortificatione Deum eo-  
dem tempore colamus, quo  
eum plerique Christiani suis  
dissolutionibus, & comessâ-  
tionibus grauiter offendunt.

18. Insuper Ordo diei in  
Congregatione consuetus,  
exactè ab omnibus siue Do-



*in Congregatione obseruadis.* 83

mi, siue in Missionibus obseruabitur, maximè quoad horas surgendi & decumbendi, Orationi vacandi, Diuinum Officium recitandi, cibum sumendi.

19. Vt mens simul cum corpore reficiatur, in omnibus Domibus nostris, necnon in Missionibus, in mensa per totum refectionis tempus, Lectio spiritalis semper habebitur.

20. Seruandæ quoque erunt aliæ laudabiles Congregationis Consuetudines cuiusmodi sunt istæ : Immediatè ante egressum Domus, sicut & post reditum, Ecclesiam adire, & Christum in Sacramento salutare ; Pauperes maximè mendicantes, cum se se offe-

84 CAP. 10. *De pijs exercitijs,*  
&c.

ret opportunitas, præfertim  
peregrè eundo, Catechizare ;  
in ingressu & egressu cubicu-  
lorum domesticorum, genua  
flectere, vt ante actionem  
Deum inuocemus, & post  
eam ei gratias agamus.

21. Si præter pia exercitia in  
his Regulis præscripta, velit  
aliquis alia superaddere, id  
Superiori aut Directori com-  
municabit ; nihilque aget, hac  
in re, nisi quod ab ijs permif-  
sum fuerit ; ne, si fecus agat,  
fortè suam, & etiam Diaboli  
voluntatem impleat : & sic in  
pœnam suæ in hoc indiscre-  
tionis vel inobedentiæ, ab il-  
lo sub specie boni decipiatur,  
ac tandem aliquod animæ suę  
detrimentum patiatur.

CAP.

CAPVT XI.

*De Miſſionibus cæteriſque Con-  
gregationis Functionibus erga  
Proximum obeundis.*

1. Cvm Dominus noſter  
Ieſus Chriſtus Diſci-  
pulis ſuis Regulas de Miſſio-  
nibus faciendis tradiderit, il-  
lis præcipiendo rogare Domi-  
num mellis, vt mitteret Ope-  
rarios in mellem ſuam, & de-  
ſignando apud quas nationes  
ſe conferrent, quid iter fa-  
ciendo obſeruarent, quas do-  
mos diuerſandi cauſâ ingre-  
derentur, quid prædicarent,  
quibus veſcerentur, denique  
quâ ratione ſe haberent erga  
eos qui ſe nollent recipere :  
Nos ideò pro tenuitate noſtrâ  
eorum veſtigijs inhærentes,

H

86 CAP. II. *De Miffionibus*  
fequentes Regulas, ficut &  
Monita in Congregatione  
tradi folita; quæ fcilicet ra-  
tionem & ordinem rectè nos-  
gerendi in Miffionibus, alijs-  
que noftris Functionibus,  
continent, accurat obfer-  
uabimus.

2. Vnufquifque, cùm fe fe  
offeret occasio, confilio &  
admonitione Proximum iuuare  
nitetur, & ad bona opera  
exercenda eum incitabit ; Nul-  
lus tamen curam dirigendi à-  
liquem fufcipiet, nifi in Exer-  
citijs Spiritualibus, Miffio-  
nibus, illisque Congregationis  
Domibus, in quibus Noftri Re-  
gimen habent Animarum, aut  
alijs occasionibus, cùm ad id  
applicati fuerint à Superiore ;  
fed in ijs etiam nemo abfque

*caeterisq; Cōg. Fūctionibus, &c.87*

licentiā & approbatione Superioris, vllas instructiones vel viuendi formulas, scripto vnquam dabit.

3. Ne Missionarijs nostris meritò objiciatur illud Apostoli, quomodo prædicabunt, nisi mittantur ? Nemo publicè Concionabitur, aut è suggestu Catechizabit, nisi fuerit ad id à Visitatore approbatus, & ab eodem Visitatore, aut à suo Superiore immediato ad id applicatus: In Missionibus tamen poterit earum Director, cùm expedire in Domino iudicauerit, & sit periculum in mora expectandi per literas responsum Superioris, Concionatores & Catechistas ad tempus mutare, alios substituendo ; dum-

H ij

88 CAP. II. *De Missionibus*  
modò de ratione huiusmodi  
mutationis, quamprimum  
poterit, Superiorem admo-  
neat.

4. Sicut non licet ulli ex No-  
stris, nisi ab Ordinario sit ap-  
probatus, Confessiones, tam  
Nostrorum, quàm Exter-  
norum audire ; ita qui eiusmodi  
approbatione gaudent, ne  
quis abusus inde sequatur,  
non debent eiusmodi munus  
exercere, nisi priùs ad id fue-  
rint à Visitatore designati, &  
ab ipso Visitatore, aut à Supe-  
riore Particulari applicati.

5. Ituri ad Missiones secum  
semper deferent Mandatum  
Illustrissimorum ac Reueren-  
dissimorum Episcoporum, in  
quorum Diocælibus Missio-  
nes fient, illudque Parochis,

aut alijs Ecclefiarum, ad quas  
itur, Superioribus ostendent ;  
& peractis Millionibus, ante-  
quam reuertantur Domum,  
DD. noltris Episcopis, si ita  
ipfis uisum fuerit, referent,  
quæ circa illas gesserint : Sed  
prius consulendus est Supe-  
rior, ut personam, & modum  
ad id agendum, designet.

6. In ingressu & egressu  
Millionis petent omnes Be-  
nedictionem à Parochis, & si  
absint, ab eorum Vicarijs : &  
nihil majoris momenti fa-  
cient, nisi prius illud ijs com-  
municauerint, & ipfis inuitis  
quidquam aggredi caebunt.

7. Exemplo B. Pauli, qui,  
ne quem grauaret, ad ea, quæ  
sibi & socijs opus erant, nocte  
& die suis manibus laborabat :

90 Ca. II. *De Missionibus*

Nos in Missionibus nemini erimus oneri ; sed omnia nostra Exercitia peragemus gratis & absque vllâ retributione, vel sustentatione temporali : oblatâ tamen habitatione, necessariâque suppellectili vti licebit.

8. Tametsi vnusquisque debet ardentè optare, & etiam, cùm res postulat, humiliter petere, vt visitandis ægris aut iurgijs & litigijs componendis, maximè in cursu Missionum applicetur : tamen vt Charitas per Obedientiam fit benè ordinata, nemo huiusmodi opera Misericordiæ suscipiet sine Superioris licentiâ.

9. In proponendis dubijs circa Casus Conscientiæ in Confessione occurrentes, ma-



gna prudentia & cautela adhibenda erit ; ita vt nunquam possit dignosci persona de quâ agitur. Et vt malis quæ inde possent oriri occurratur, nemo dubia de vilo Casu Conficientiæ alicuius momenti in Confessione audito, proponet, nisi priùs consulto Directore Missionis.

10. Quandoquidem Missionariorum, siue Sacerdotum Missionis nomen, (quod à nobis non vsurpatum, sed Diuina ordinante Prouidentia, Populorum communi voce Nobis impositum est) satis demonstrat Missionum Opus, inter cætera erga Proximum Exercitia nobis esse primum & potissimum : Quamobrem non debet Congregatio, sub

92 CAP. II. *De Missionibus*  
alterius operis pii, alioquin  
vtilioris, prætextu, illas vn-  
quam omittere : sed vnusquif-  
que toto animi affectu ad eaf-  
dem se conuertet ; itavt fit  
semper paratus ad Missiones  
toties obeundas, quoties eum  
Obedientia vocabit.

11. Et quoniam Monialium  
Directio Missiones, aliaque  
Instituti nostri Functiones  
non parùm moraretur; Om-  
nes & Singuli ab illis dirigen-  
dis omninò abstinebunt;  
Nullusque eas inuifet, aut  
apud illas prædicabit, etiam  
in ipfo Missionum cursu, nisi  
priùs ad id expressam Superio-  
ris, saltem Particularis, facul-  
tatem habuerit : & licet no-  
stra Congregatio ad Puellas  
seu Mulieres Communitatis

Charitatis dirigendas, ex ip-  
farum Inſtitutione iam depu-  
tata ſit: Nemo tamen ex No-  
ſtris illarum Directioni ope-  
ram dabit, aut apud illas ſe  
conferet, aut etiam cum illis  
habebit colloquium, ſine  
eiuſdem Superioris licentia.

12. Cæterùm intelligent Om-  
nes & Singuli, quod Minifte-  
ria noſtra, Domi exercenda  
erga Eccleſiaſticos externos,  
Ordinandos maximè & Semi-  
nariſtas, ſicut & erga alios in  
Seceſſu ſpirituali dirigendos,  
non debent, ſub prætextu  
Miſſionum, negligi : hæc enim  
oportet facere, & illa non o-  
mittere ; cùm ad vtrumque  
munus obeundum, quoties  
à Prælatiſ & à Superioribus  
vocati ſumus, ex Inſtituto

nostro ferè æqualiter (Licet  
Milliones sint præferendæ)  
astringamur : & etiam diutur-  
no constet Experimento,  
quofvis fructus ex ijsdem  
Millionibus perceptos, vix  
posse diu conferuari sine Pa-  
rochorum adiumento ; quo-  
rum perfectioni non parùm  
conferre videntur præfata  
Ministeria : Idcirco vnusquis-  
que ad illa rectè & piè exer-  
cenda, se Deo lubenter Dica-  
bit. Quod vt meliùs & faci-  
liùs exequatur, eas Instru-  
ctiones, quæ ad id solent dari  
à Superioribus nostris, exactè  
obseruare studebit.

CAPVT XII.

*De nonnullis Medijs & Adiu-  
mentis ad prædictas Functiones  
Benè & Fructuosè obeundas  
requisitis*

1. QVemadmodum Con-  
gregatio, in ipso Re-  
gularum seu Constitutionum  
istarum initio, sibi Chri-  
stum Dominum proposuit  
imitandum, in eo quod cœpit  
Facere & Docere ; ita in hoc  
finali capite necesse est, vt ip-  
sum pariter statuat sequi in  
eo quod Benè omnia Fecit :  
Quidquid enim Boni egeri-  
mus, id pœnâ potiùs meretur,  
quàm præmium, nisi Benè  
fiat. Quapropter conueniens  
fuit hæc pauca Documenta ac  
Media ad præfatas Functiones

Benè exercendas conducen-  
tia, adiungere ; quæ Omnes  
nostri Millionarij in vfu ha-  
bere diligenter curabunt.

2. Vnusquisque in singulis  
operibus suis ; & præsertim  
in Concionibus, alijsque Con-  
gregationis Functionibus pu-  
rissimâ soli Deo placendi in-  
tentione, quantum in se erit,  
animari, illamque identidem  
maximè initio præcipuarum  
actionum, renouare studebit:  
Sed in primis cauebit ne in  
ijs vllum, vel hominibus pla-  
cendi, vel sibi fatiffaciendi  
desiderium admittat ; quod  
quidem sanctissimàm quam-  
que actionem posset inficere  
ac deprauare; iuxta doctrinam  
Christi : Si oculus tuus fue-  
rit nequam, totum corpus

tuum

*Medijs & Adjumentis, &c.* 97  
tuum tenebrosum erit.

3. Et quoniam, vt ait Ap-  
stolus, quandoque contingit,  
vt, cùm spiritu cœperimus,  
carne confummemur : quod  
folet accidere, vel cùm actio-  
nem nostram subsequitur va-  
na quædam complacentia,  
quâ inaniter pascimur, si cùm  
hominum plausu illa nobis  
succeederit ; vel cùm ita no-  
bismetipsis graues ac molesti  
videmur, vt nullo modo possi-  
mus conquietescere, si actio  
nostra minùs felicem exitum  
fortita fuerit : Ideò omni curâ  
ac diligentia cauebimus, ne  
in vilo eorum vnquam delin-  
quamus. Vt autem priori ma-  
lo occurratur, hanc Veritatem  
nobis ob oculos ponemus,  
omnẽ gloriam Deo, nihil verò

I

98. CAP. 12. *De nonnullis nobis tribuendum, nisi confusionem : Deinde valdè timendum, ne, si huiusmodi plausibus vanè delectemur, hæc verba Christi audiamus, Amen dico vobis, recepistis mercedem vestram. Posterioris verò mali remedium hoc erit, continuò ad veram Humilitatem, & propriæ Abiectionis Amorem, quem Deus à nobis tunc exigit, confugere ; deinde attentè considerare, sæpissimè ex huiusmodi contradictionibus patienter toleratis tantum Gloriæ Nomini Dei, & proximo vtilitatis accedere, quantum ex Prædicationibus Populo gratis, ac in speciem fructuosæ sperare possèmus.*

4. Et quia duo illa mala



Concionatoribus infelita, inanis scilicet Complacentia, & inordinata Inquietudo, folent etiam oriri ex proprijs tum Laudibus, tum Cenfuris, circa huiufmodi actiones publicas auditis : Nemo Noftros, præfertim fi aderint, ob raras naturæ vel artis Dotes, maximè ob Conciones eloquenter, & cum hominum plaufu habitas collaudabit : aut è contra ob Scientiæ fiue Eloquentiæ defectus, aliofque eiufmodi inter prædicandum annotatos, redarguet. Quòd fi qui, ad puffillanimitatem temperandam, aut vanum prurimum cohibendum, aliquâ indigerent vel congratulatione, vel admonitione, Superioris erit id efficere, aut

100 CAP. 12. *De nonnullis*  
aliquem deputare, qui pruden-  
ter & priuatim vtrumque  
preſtet. Nefas tamen non erit  
interdū illos ob Humilitatis,  
Mortificationis, Simplicitatis,  
aliarumue eiufmodi Virtutū  
actus, etiam in ipſis Prædi-  
cationibus productos, com-  
mendare ; dummodò ſobriè,  
diſcretè, ipſis abſentibus, &  
coram Deo id agatur.

5. Quamvis Simplicitas,  
quatenus primaria, & ma-  
ximè propria Miſſionariorum  
Virtus, ab ijs ſemper & vbi-  
que ſit fideliter exercenda ;  
illam tamen accuratiùs ad  
praxim redigemus in Miſſio-  
nibus, maximè dum verbum  
Dei annunciamus Ruſtica-  
nis; cum quibus, tanquam  
Simplicibus, eſſe debet ex ore

noſtro Sermocinatio eius. Idcirco ſtylus Concionum noſtrarum, & Catechiſmorum ſimplex erit, & ad captum Populi ; necnon iuxta ſimplicem Methodum, quâ vſa eſt vſque adhuc Congregatio. Propterea vnusquisque à molli & affectatâ locutione abhorrebit ; nec ſtudebit in Cathedrâ Veritatis, curioſos & nimis exquisitos animi conceptus, & inutiles argutias proferre : attendens Chriſtum Dominum, ejuſque Diſcipulos, ſimplici loquendi modo vſos fuiſſe, atque ita ampliffimam meſſem, fructuſque copioſiſſimos attuliſſe.

6. Qui Seminarijs Externorum, Directioni Ordinandorum, Conferentijs cum Paro-

102 CAP. 12. *De nonnullis*  
chis, & alijs Ecclesiasticis, aut  
similibus Exercitijs applica-  
buntur ; illâ simplici ac popu-  
lari loquendi ratione similiter  
vtentur ; & insuper studebunt  
eos omnes, non minùs ad Pie-  
tatem quàm ad Doctrinam,  
tam exemplo, quàm verbo  
promouere ; sed præfertim ni-  
tentur cum illis agere in om-  
ni Humilitate, Mansuetudi-  
ne, Reuerentia, & Affabili-  
tate. Qui verò Exercitijs Spiri-  
tualibus tradendis vacabunt,  
eadem, quoad fieri poterit,  
obseruabunt.

7. Quandoquidem Nouæ, aut  
Particulares Opiniones ple-  
rùmque nocent & suis Au-  
thoribus & Sectatoribus, ca-  
uebunt Omnes & Singuli ab  
huiusmodi Nouitate & Parti-

cularitate ; imò femper in Doctrinâ, in Dictis, & in Scriptis, quoad fieri poterit, conuenient; ita vt, iuxta Apoftolum, omnes idem ſapere & ſentire ac etiam idem dicere poſſimus.

8. Et quoniam, vt ait Sanctus Zeno, Curioſitas Reum efficit, non Peritum ; & ſecundùm Apoftolum, Scientia inflat, tunc maximè cùm ejus Conſilium negligitur, non plùs, ſcilicet, ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad Sobrietatem ; Idcirco Omnes, ſed præfertim Scholaſtici, continuè inuigilabunt, ne illa inordinata ſciendi Auiditas, corda ſua ſenſim inuadat : non tamen definent ſtudijs ad functiones Millionarij ritè obeū-

das neccellarijs impenſe vacare ; dummodò præcipua cura fit addiſcere ſciētiam Sanctorum, quæ in ſchola Crucis docetur ; ita vt nonniſi Ieſum Chriſtum valeant prædicare, exemplo eiufdem Apoſtoli; qui etiam ſcribens ad Corinthios, ingenuè fatetur, quòd non iudicauit ſe aliquid ſcire inter illos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc Crucifixum.

9. Inter omnia Euangelij Documenta, ijs qui in vineâ Domini laborant neccellaria, hoc Nobis debet eſſe commẽdatiſſimum : Qui inter Vos vult eſſe maior, fiat ſicut minor, & aliorum miniſter : Etenim, ſi quando ab huius Documenti obſeruatione cella-

ret Congregatio, confestim  
inordinato Glorię appetitu in  
eam graffante, penitus de-  
strueretur : quippe qui sese in  
animos naturâ suâ ad elatio-  
nem procliues facillimè in-  
finuans, eos ad plurima im-  
pellit mala, sed præsertim ad  
Officia honorifica ambi-  
enda, tum ad inuidiam in  
eos, qui ad illa prouehuntur,  
concupiendâ ; vel etiam ad pro-  
priâ satisfactiõnẽ exquirendã,  
si ipsi in illis gradibus con-  
stituantur ; Qui quidem ille-  
cti ac delusi specioso Glorio-  
læ fulgore, in quem solum o-  
culorum aciem intendunt,  
proximum præcipitium non  
attendentes, in illud tandem  
miserè delabuntur. Ideò nihil  
Nobis potiùs erit, quàm vt hoc

106 CAP. 12. *De nonnullis*  
Superbiæ Monstrū fugiamus.  
Quòd si Ambitio corda nostra  
iam occupauerit, statim iuxta  
præfatū Dñi Confiliū, illam ex-  
pellere cõueniet per intimum  
Humilitatis actū, quo in ocu-  
lis nostris fieri viliores nita-  
mur, locumq; nouissimū sēper  
tenere percipiamus. Si verò  
ob Officia aut Munera honori-  
fica quibus fungimur, Nos va-  
nâ gloriâ inquinatos noueri-  
mus, remedium cõtra illam hoc  
erit : Quamprimū à Superiore  
petere (cū submissiōe tamen)  
vt ab ijs munijs Nos amoueat,  
& ad vile aliquod Ministeriū  
pro suo arbitratu applicet.

10. Omnes quoque singu-  
lari studio primos Inuidiæ  
motus reprimere curabunt,  
qui ex eo oriri possent, quòd



aliæ Congregationes, famâ,  
hominum fauore, & Hono-  
rificis occupationibus Nostrâ  
superent, certò sibi persua-  
dentes non interessè per quos  
Christus annuncietur, dum-  
modò annuncietur ; & æqua-  
lem, vel etiam quandoque  
ampliorem gratiam, & meri-  
tum nobis accedere, cùm de  
Bonis aliorum Operibus gau-  
demus, quàm si eadem nos  
ipsi cū propriâ satisfatione,  
vel intèntione minùs perfectâ,  
faceremus: Idcirco quisque  
nitetur Spiritum Moyfis in-  
duere, qui rogatus, vt quos-  
dam Prophetantes prohibe-  
ret, exclamauit : Quis tribuat  
vt omnis Populus Prophetet,  
& det eis Dominus Spiritum  
suum ? Prætereà cæteras qual-

uis Congregationes Noſtrâ  
longè digniores æſtimabimus,  
licet illam majori cordis affe-  
ctu proſequi debeamus ; vt  
puer bonæ indolis Matrem  
ſuam quamuis pauperem &  
deformem, multò plùs diligit,  
quàm ceteras qualque, etiam-  
ſi diuitijs & formâ conſpicuas.  
Intelligent tamen Omnes te-  
nerum hunc Amorem ſpecta-  
re tantùm Perſonas, Virtutes,  
& Gratiam ipſius Congrega-  
tionis, non autem quod in  
eâ delectabile eſt, vel homi-  
num plauſu emicat : id quod  
ſpeciali ſtudio profitebimur  
odiſſe & fugerer, non ſolùm  
quiſque quod ad ſe attinet,  
ſed etiam quod ad totam ip-  
ſam Congregationem : ita vt  
ne quidem appetamus, vt ip-

la ab hominibus videatur, ei-  
que applaudatur, sed potiùs  
humilietur & abscondatur in  
Domino ; mente recolentes  
eam esse Granum illud Sina-  
pis, quod, nisi feminatum, &  
occultatum in terrâ fuerit,  
crescere fructumque facere  
non potest.

11. Caebunt similiter Om-  
nes à duobus alijs Vitijs, quæ  
non minùs Instituto Missio-  
nis, quàm sibi inuicem sunt  
oppolita ; tantóque magis  
perniciosa quantò minùs ta-  
lia apparent ; eò quòd sensim  
aliam induant speciem ; ita  
vt persæpè pro veris Virtutibus  
sumantur. Hæc autem sunt  
Spiritus Acediæ, & Zelus in-  
Discretus : Primum quidem  
paulatim animo subrepens,

K

110 CAP. 12. *De nonnullis*  
prætextu difcretionis in cor-  
poris conferuatione neceffa-  
riò adhibendâ, vt inde ad Dei  
Cultum, & Animarum Iuu-  
amen fimus aptiores, Nos du-  
cit ad Corporis commoditates  
exquirendas, necnon ad La-  
borem, qui Virtutem comita-  
tur, fugiendum ; quem ideò  
multò majorem fallò demon-  
ftrat, vt illa quali odio digna  
nobis appareat, quæ per fe eft  
femper ab omnibus adaman-  
da ; & fic incurramus maledi-  
ctionem illam à Spiritu San-  
cto pronunciatam in huiuf-  
modi Operarios, qui faciunt  
Opus Dei negligenter, aut  
fraudulenter. Alterum verò,  
amorem proprium aut noftrâ  
indignationem obtegens, nos  
ad nimiam afperitatem tum

*Medijs & Adiumentis, &c.* 111

in peccatores, tum in nos ip-  
fos exercendam, aut ad labo-  
rem supra vires, aut etiam  
contra Obedientiam, cum  
corporis & animi detrimento  
fulcipiendum, impellit, vt re-  
medijs posteà ardenter quæ-  
rendis nos implicet, & hoc  
pacto Segnes & Carnales effi-  
ciat. Ab his igitur duobus ex-  
tremis Omnes declinare, me-  
diumque semper tenere, totis  
viribus nitimur ; quod qui-  
dem medium sine dubio repe-  
riemus in exactâ Regularum  
seu Constitutionum nostrarum  
benè intellectarum ob-  
seruantia, necnon in labijs  
eorum qui custodiunt Scien-  
tiam, in quorum manibus,  
speciali Dei ordinatione, Ani-  
mæ nostræ sunt ; si tamen hu-

K ij

112 CAP. 12. *De nonnullis*  
militer ac confidenter de ore  
eorum quoties opus erit,  
legem requiramus, eorumque  
Directioni omnimodè, & perfectè  
subijciamur.

12. Ante omnia memores  
erimus, quòd licet ijs Virtuti-  
bus, ex quibus Missionis Spi-  
ritus componitur, nos semper  
instructos esse oporteat, illis  
tamen nos tum maximè mu-  
niri expedit, cùm tempus Mi-  
nisteria nostra apud Rurico-  
las exercendi aduenit ; illaf-  
que tunc debemus mente  
conspicere, velut quinque  
limpidissimos Daudis lapides,  
quibus percussum etiam pri-  
mo ictu infernalem Goliath  
in Nomine Domini Exerci-  
tuum deuincemus, Philisti-  
nosque, id est, Peccatores

Seruituti Dei subijciemus ; si  
tamen prius Arma Saülis de-  
ponamus, & Fundâ eiusdem  
Dauidis vtamur : Si videlicet  
cum Apostolo, non in perfua-  
sibilibus, aut doctis humanæ  
sapientiæ verbis, sed in Do-  
ctrina & Ostensione Spiritus  
& Virtutis (tametsi sermo  
noster sit contemptibilis) ad  
Euangelizandum prodeamus :  
animo recolentes, quòd, si  
iuxta eundem Apostolum, in-  
firma, stulta, & contempo-  
rabilia Mundi elegit Deus, vt  
per illa huius Seculi sapien-  
tes, ac fortia quæque con-  
fundat & destruat, sperari  
potest fore vt ipse, ex suâ in-  
finitâ Bonitate, Nobis, licet  
indignissimis Operarijs, det  
Gratiã ei, pro modulo nostro,

114 CAP. 12. *De nonnullis*  
cooperandi in Salutem Ani-  
marum, præfertim Pauperum  
Rufticanorum.

13. Omnes fingulari colent  
veneratione & amore Regu-  
las feu Cõftitutiones noftras,  
etiam quæ inter ipfas non  
tanti viderentur momenti ;  
eas omnes fpectantes, vt me-  
dia Nobis à Deo ipfo tradita,  
ad perfectionem Vocationi  
noftræ congruentem acqui-  
rendam, & confequenter  
Animæ Salutem faciliùs vtil-  
iùsque operandam. Quapro-  
pter feruentia ac generofa fæ-  
pè concipient defideria illas  
fideliter obferuandi. Quòd fi  
quæ intellectui, aut fenfui no-  
fthro repugnent, in ijs conti-  
nuò nofmetipfos superare,  
ac naturam vincere conabi-



mur ; recogitantes, iuxta  
verba Chrifti, Regnum Cœ-  
lorum vim pati & violentos  
rapere illud.

14. Vt autem hæ Regulæ  
feu Constitutiones Commu-  
nes, ficut & Speciales ad fuum  
cuiufque Officium pertinen-  
tes, memoriæ & animo altiùs  
inhæreant, & ita ftrictiùs ob-  
feruentur : Singuli apud fe il-  
las habebunt, ac faltem tertio  
quoque menfe perlegent, vel  
audient : eafque rectè intelli-  
gere curabunt, & pro fuis  
quifque circa illas defectibus,  
à Superiore aliquoties in an-  
no pœnitentiam humiliter  
petent, vt ifta humiliatone  
faciliùs à Domino veniam ip-  
forum defectuum obtineant,  
nouafque contra relaplũ in-

116 CAP. 12. *De nonnullis*  
posterum vires allumant : Quin-  
etiam illa fidelitas, quam in hac  
re praestanda exercuerint, argu-  
mentum erit Fidelitatis, quam  
in ipsis Regulis seu Constitutio-  
nibus obseruandis adhibue-  
rint, signumque desiderij, quo  
erga propria Perfectione affi-  
ciuntur. Quod si aliquis in earum  
obseruantia progressum quicquam  
fecisse noverit, gratias Christo  
Dominoaget, ac supplicabit, ut  
eas in posterum melius obser-  
uandi Gratiam sibi, totique Con-  
gregationi largiatur. Caeterum  
firmiter Nobis persuadendum est,  
quod, iuxta verba Christi, cum  
fecerim<sup>9</sup> omnia quae praecpta  
sunt Nobis, dicere debem<sup>9</sup> : Nos  
seruos inutiles esse, quod de-  
buimus facere, fecisse, imo si-  
ne illo nihil facere potuisse.

**FINIS.**

INDEX CAPITVM  
huius Libelli

I. <i>De Fine &amp; Instituto Congregationis</i>	1
II. <i>De Documentis Evangelicis.</i>	5
III. <i>De Paupertate</i>	26
IV. <i>De Castitate</i>	31
V. <i>De Obedientiâ</i>	36
VI. <i>De ijs quae ad Infirmos spectant</i>	43
VII. <i>De Modestiâ</i>	46
VIII. <i>De Mutuâ Nostrorum Conuersatione</i>	50

INDEX CAPITVM.

- IX. *De Conuerfatione cum  
Externis* 60
- X. *De pijs Exercitijs in  
Congregatione obfer-  
uandis* 67
- XI. *De Miffionibus, caeterif-  
que Congreg. Functio-  
nibus, erga Proxi-  
mum obeundis* 85
- XII. *De nonnullis Medijs, &  
adiumentis, ad praedi-  
ctas Functiones obeun-  
das, requifitis* 95

FINIS.

### *ERRATA.*

Página 17. Línea 20. Inmediatè ante

Alijs. Pone 1.

Pag. 25. inmediatè post lineam tituli, post

2. adde 5.

Pag. 30. lin. 1. vtque, lege, atque.

Pag. 36. lin. 16. lege, imprimis.

Pag. 51. lin. 4. Alias his similes, lege, Alia  
his similia.

Pag. 53. lin. 9. lege, constat.

Pag. 70. lin. 5. lege Trino & Vni.

Pag. 106. linea 4. illud, lege illam.